



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Meditationes Rerum Divinarum In Psalmos  
Quindecim**

**Hillesheim, Ludwig**

**Coloniae, 1572**

**VD16 H 3683**

22 Dominus regit me.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60352](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60352)

*vsq<sup>3</sup>, pro infirmitate conditionis meae offe-  
ro. Ita in tuis versans oculis, & in vultu  
tui luce ambulās, in virtutis dirigar via  
ac demum fructum operum meorum se-  
piternum feram, ad caelestem tuam subli-  
Esa. 6. tus gloriam, qua pleni sunt caeli & vni-  
uersus orbis terrarum.*

*Meditationis in Psalmum  
XVIII finis.*

ARGUMENTVM  
Psalmi XXII.

Deus vniuersi creator, benignitate sua  
iustorum vitā & res omnes tuetur, eos  
que ad veram iustitiam ac prave factorum  
pœnitentiam spiritu suo, & castigatione  
inducit, vt in hac misera vita, ope eius in-  
stentati & exhilarati diuina, salui perpetuo,  
atque in cœlo beati esse possint.

MEDITATIO IN PSALMV  
xxij. iuxta Hebræos xxij.

**Q**ui vitam piorum refertam ijs, à quibus  
 omnis natura sensus abhorret  
 malis, extrinsecus vident, ij certè tristem  
 eorum, & lugubrem statum intuentur, vt  
 genus illud electorum à Deo, coangustatū  
 vndiq<sup>3</sup>, hominum omniū vndiq<sup>3</sup>, in finū,  
 ac saepe ceu ad inferorum profundissima  
 deiectum esse videatur. Hæ quidem speci-  
 es videntur & apparent, verū illi inte-  
 rea Deo freti, cū se abstrusa à mundi ra-  
 tionibus tutela & præsidio contineri sci-  
 ant, in silentio & spe fortitudinem suam  
 constitutam habent. Videt mundus mala  
 eorum, bona non videt, vt meritò pro Dei  
 absconditis haberi possint. Nec illi spe-  
 ctant ea quæ cernuntur temporalia, sed  
 quæ non cernuntur sempiterna. Lugent,  
 & magna eis inter incommoda vita ac <sup>2. Cor. 4.</sup>  
 rerum luctatio est, verū sua patientia  
 suæ salutis consulunt. Ac cū ad Deum  
 assiduas querelas suas, & vota deferunt,  
 non solum Dei beneficentia continentur,  
 vt corpora eorum inter summa mala vi-

D 2 talem

talem spiritum ducere possint. Sed & animorum excellentia cum Deo coniunguntur, & suam conscientiam in Dei conspe-

2. Cor. 4. Et commendant. Atque hæc sublimior natura ratio est, extra omnem eius potestatem ac sensum, mouetur enim & continetur sola vi diuina, vt nihil in eam iu-

2. Cor. 4. ris, etiam, quæ videntur inuitabiles rerum causæ habere possint. O admirabilem & dignam Deo efficientiam, quam ignotam orbi, manifestam suis facit, gratiæ suæ luce, animis eorum in tenebris vitæ ad claritatem cognitionis Dei semper illucescente, ac res eorum imperio suo diuino profluentibus ex ipsa aternitate causis gubernante. In quo firmamentum vitæ & gaudiorum exuberantia, & omnis felicitatis perfectio est, ad corpora & animos simul pertingens, vt necessarios pastus habeant, illa terrestres, hi verò æternos, quibus in perpetuum alantur & viuant. Nihil enim maius vlli homini tribui à Deo potest, quod qui non agnoscunt, eos ille in abdi-

cati

catis habet, vt vera excidant salute ac gratia: at qui constanti ratione se ipsius cura tutelaque permittunt, hos in sempiternum regit & seruat. Ad tanti boni sensum vtinam mens mea pertingere aliquo modo possit: Ac pertinere sanè, si omnem animi vim ad Deum attollam, ac seruus eius potestatis diuina factus, eum sequar, meque ei permittam: Sic miseriae omnis expers, & verè beatus ero. Cur autem in huius caelestis, ac diuini boni speciem animus meus intuens succumbet? an parenti principique omnium rerum Deo dissidens, à suo excidet statu? nec eius voluntatem & imperium sequetur? sequetur certè, influente in eum diuinae gratiae fonte, vt confirmari dominatu caelesti possit. Nihil ergo est quod labefactare statum vitae nostrae queat, nec vlla necessitatum, aut aeternae mortis fata periment, quoniam

*Iuxta Heb.  
Pascit.*

Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco pascuae me collocauit.

*Euthim.*

*In loco herbarum, in pascuis herbis, in speciosa pascua.*

**A**T quis ille? perpetuitate aeterna consistans, nullo exortu, à quo ortum omnia ducunt, celi conditor & terrae, qui aethereos orbis syderibus ac stellis, terras admirabili & infinita varietate rerum, naturam vniuersam forma diuina impleuit omnium potens. Verum is tantus, semper demittet ad te terra vermiculum pascedum? Demittet sanè, nihil est enim in illa summa natura (si eam ita appellare fas est) magnum aut paruum, humilia videt & excelsa, ac proratione diuinitatis suae, vniuersitatem rerum, eiusque partes, animantium vitas, ac minima etiam sensus expertia, omnipotente suo complexu & cura tuetur, proferens se vndique seculis omnibus ac temporibus, inque omnia diffundens, vt eorum procreatio et conseruatio perpetua esse possit. Cùm enim

in hoc vniuersitatis complexu atque orbe terrarum, omnia quae diuinitus condita sunt, auctoris summi magnitudinem declarent & ostendant: illa tamen admirationis plena, & cōtemplatione dignissima ratio est, qua animaduertimus, in tanta tamque perpetua agitatione, tanto seculorum decursu, haec tam diuersa, tantis spacijs terrarum, et interuallis disiuncta, prouidentia eius diuina conseruari ab interitu, certa que & constanti lege ferri, vt vires suas obtineant & ordinem eum, qui eis praefixus est seruent ac tueantur.

In quo maximi opificis non maiestas solum, quae tamen nullis finibus comprehenditur, aut sensu quocunque percipi potest, suspicienda est, verum etiam eius beneficentia atque amor in omnium hominum admiratione & veneratione esse debet.

Nam si ille operis tanti effector Deus, curam ab rebus conditis suam auertisset, nulla beneficij tanti, tamque immortalis ratione, nec operis perfectio aliqua futura erat.

D 4 quoni-

quoniam id quod procreatum erat, dissolu-  
ui statim necesse fuisset. Quid autem pa-  
rentibus liberi deberent, si ut protinus na-  
ti essent nulla eorum cura, nullo educatio-  
nis officio continerentur? ac tum destitu-  
erentur, quum non solum inualidi ad om-  
nes actiones sunt, verumetiam salutem et  
conseruationem suam sine presidio alieno  
tueri ac retinere non possunt. Quod si ad  
illorū ortum, sollicitudo, qua in educando  
varia ac molesta est, accesserit, qua tenuia  
& imbecilla corpora, initio fouentur ac  
nutriuntur, mox ingredi ac fari discunt,  
& cum sensim adoluerint, finguntur, dein-  
de, cum vires suas summas obtinēt, elocan-  
tur, & presidijs ad vitam sustentandam  
idoneis muniuntur, atque interea pater-  
narum possessionum consequendarum in-  
spem veniūt, quas si in officio perstiterint,  
demum hereditario iure adipiscuntur, iā  
in eorum animis paterna pietatis sic con-  
firmata existimatio est, ut eis omnia tri-  
buenda esse vitam, conseruationem, salu-  
tem



tem agnoscant. Quæ, si in omnium hominum consensione, & animis sic inhaerent, ut omnem dubitationem effugiant, quanta veneratio & pietas isti sempiterna ac diuinæ beneficentiæ tribuenda erit? quæ caelo & terris omnia nituntur & conseruantur, sequæ ab ruina & interitu tuentur. In quo felicitatis humanae & benignitatis diuinæ exuberantia est. Nam cum ingens sit magnitudo malorum, quibus omnia abundant, quæ certa salutis ratio esse possit? nisi vitam nostram numine suo gubernet Deus, nos à malis auertat, suamque potentiam et opem ostendat? Sed eius charitas ipsius magnitudini par, in omnia redundat, tribuit omnia ac largitur, ac suam presentiam intuenda omni natura ostendit. Itaque omnis ei religio, omnis pietas debetur, à quo accepta omnia sunt. Id quod omnes homines agnoscere debent, ac recordandum mihi erit, pro summa Dei erga immerentem me atque indignum benignitate ac misericor-

dia, qui vt pastor gregem in latissima  
pascua ducit, me quoque ceu ouiculam  
statuit eò, vbi diuite celestium rerum co-  
pia abundem, & pabulo salutaris doctri-  
nae animus exatietur, ne in hac indigen-  
tia vite ac rerum quicquam mihi ad bea-  
tè ac sanctè viuendum deesse possit.

G. Aquas  
refrigerij.  
Requies  
duxit me.  
Aguas trā  
quillas.

Super aquam refectionis e-  
ducauit me, animam meam  
conuertit.

**M**agnus labor est humana vite, qui  
mentes & omnes sensus corporis fa-  
tigat, & cuius immenso feruore inflam-  
matus animus ac defessus ad requiem fer-  
tur, anhelus & sitienter refrigeriū qua-  
rēs. Ei labori omnes lege diuina delictōq;  
nostro sumus astricti: nō enim initio, ea ho-  
minis conditio fuit. Deus ei paradisum,  
domicilium omnibus delicijs plenum ac  
floreus attribuerat, mortis ac malorum  
expers erat, nec quicquam eius foelicitate  
auferre poterat, nisi eum peccato in  
corpo-

corporis cupiditatibus parentem suaque  
credulitate deceptum, satietas caelestium Rom. 6.  
bonorum coepisset. Tum primùm indigen-  
tia & egestas, spes & solatia eius tanta  
abstulit, ac cum morte concursus ei ma-  
lorum incidit, à quibus explicare se, nisi  
caelesti ope adiutus, non poterat. Verùm  
iustitiae Dei fuit, eum poenas delicti  
sui sustinere & sufferre, misericordiae au-  
tem, quod ei laboranti pietas succurrit di-  
uina: ut peccato liberatus, Deoq; eman-  
cipatus, fructum suum perciperet ad san-  
ctitatem, ad extremum vitam adeptu-  
rus sempiternam. O pastorem bonum,  
qui liberationi humanae, sanguinem su-  
um & vitam impendit. Interea autem  
propter illam auitam noxam magnus la-  
bor est vitae, pro quo leuando ingemiscit  
natura, ac diuinam desiderat manum.  
Hoc me labore debilitatum & afflictum,  
& aegritudine omni anxium, Deus spiri-  
tu sancto suo consolatus, ceu ad refrigerij  
vitales aquas, ex ipsius folio manantes,

D 6 beni-

benignè traduxit, & in pascuis amœnissimis sciētia doctrinaq; sua constituit, vt ab detestabili ratione vita, & æstu malorum auersus, gratia eius tranquille agere, & mente erga eum religiosè deuota esse possum. Atque vt numinis eius benignitas ad fauor testator esset,

Deduxit me super semitas iustitiæ propter nomen suum.

**C**um enim propter auitam noxam, meumq; delictum ab omni ratione beata vita alienus essem, iamque erroribus turbulentis inuoluerer, ille infirmitatem meam gratia superauit sua, iustificauitque impium, vt iussa eius celestia inoffensè sequerer, nec ab ijs vllis falsarum opinionum impulsu vnquam deflecterem. Itaque pro sua benignitate suum filium in terras misit, vt iustitiam in nobis suam firmaret gratuito dono, propter sempiternum nomen suum, ad confirmandam beneficentiæ suæ immensitatem. Nulla facultas

cultas humana, ei summo bono apprehen-  
dendo par vnquam fuit, concessa eius opu *Ad Rom. 5.*  
lencia diuinitus est hominum generi, vt  
quò plus esset delicti, eò magis excelleret  
gratia, ac quemadmodum morte regna-  
uit peccatum, sic gratia quoque per iu-  
stitiam regnet, ad sempiternam vitam  
per Iesum Christum. O gratam, & omni  
voto amplectendam memoriam salutis  
meae, qua cum donatus à deo sim, præ-  
standum mihi erit, vt omnis vita ad eius  
conferatur voluntatem, à quo ornatus tã-  
to bono sum et affectus. Quid ergo ad sum-  
mam tranquillitatem & gloriam vita  
deerit mihi? qui iustitia viam ingressus,  
sequar præeuntem Deum, qui vt aternus  
est, ita ducem se ad aternam vitam offert,  
vt nulla mortalitate vincar. O præstans  
bonum, quo ad Deum accedam, vt omnia  
excellencia habeam ac summa, nec vlla  
mali vis conturbare statum meum vn-  
quam possit. Hoc ego liberalitate, ò sum-  
me rector, tuâ consecutus, iam me ipso ma-

ior, ad omnem me cogitationem diuinam  
conuertam, inq̄, ūs persistam, qua veram  
soliditatem habent. Nec me hanc viam  
ingressum & abducta ab rebus terre-  
nis mente, cœlestia solum contemplantem  
quicquam abducat.

*Etiã si am-  
bulauero p̄  
vallem um-  
bræ mortis.*

Nam etsi ambulauero in me-  
dio umbræ mortis, non time-  
bo mala, quoniam tu me-  
cum es.

*Umbra  
mortalis.*

**I**n hac quidem terrestri vita, cum toto  
corpore mortem persentiam, ingens ter-  
ror inis sensus est infixus, & mentem oc-  
cupat, vt cum omnia interitum intentet,  
quasi per mortiferam quandam vallem  
cursus esse videatur. sed omnem illum  
horrorem gratia tua auferet diuina, qui  
summa & prepotente vi non mortem tan-  
tum exuperas: sed etiam mortuis vitam  
das, vt mala omnia nostra, inuicta mi-  
sericordia & pietate tua sint superata.  
In te ergo Deus, spes omnis mea, etiam  
media

*Ad Rom. 4.*

media in morte, erit. Video mala & sentio, sed ad omnem retinenda salutis spem erigor presentia tua. Hæc omnem perturbationem meam minuit, vt nullus animo terror insideat, quid enim metuum, ope tua presenti? omnem exitij formidinem & impetum, quàm longissimè propellente? Hæc omnibus quos habes electos, indubitata spes est, nec quicquam tuo promisso deerit, quate adfore tuis ad ipsum vsque mundi finem addixisti. O gloriosam misericordie tue vim, etiam ad terrarum infima se demittentem, vt in te omnis animi & corporis custodia ponatur, nemo diffidere sua saluti possit. Nihil enim tibi clausum, ades omnibus vultu tuo, numine & potentia, qua omnia in vniuerso consistunt. Eius ratio me & confirmat, & ab delicto deterret. Vtranque enim rationem memori ac deuota mente sequutum,

Virga

Virga tua,  
et pedū tu-  
um.

Virga tuus & baculus tuus  
ipsa me consolata sunt.

**I**Nter omnia quæ accidere possunt, illa  
diuina consolatio est, & virga tua cor-  
repti, commutationem vitæ sumamus, &  
à delicto expiemur, ac quum erroribus tur-  
bulentis implicati hæremus, pedo pasto-  
li tuo reducamur in viam ac gubernemur.  
In hoc ego Domine firmamentū vitæ meæ  
& rerum constitutum habeo, ad sempiter-  
nam tuam gratiam promerendam. Non  
enim castigatus manu tua, in malis ani-  
mum despondebo, quin potius iudiciorum  
tuorum cœlestium æquitatem & fidem  
reueritus & veneratus, faciem misericor-  
diæ tuæ supplex, & maiestati tuæ aduolu-  
tus requiram, in qua vna refrigerium  
est animæ meæ, menti consolatio, consci-  
entia quies. Quamquam enim iuste cor-  
rigar, ac tanquam virga tua, iudicio tuo,  
aduersis rebus ad iustitiæ disciplinam eru-  
diar, tamen baculo tuæ potentia susten-  
tor

Ad Ephe. 3.



tor, ne corruam in mortem & exitium ab  
voluntate & veritate tua disidente vita.  
Ita omnia immissa consilio tuo diuino  
sunt, quibus ducibus ad ipsam salutem ve  
nire possim. Sed horum is exitus fuit, vt  
quas ego iustas pœnas sufferrem, ea sem-  
per lenitate & clementia tua mitigaren-  
tur. Vt autem immortalium bonorum,  
quibus abs te benignè affectus sum, mag-  
nitude confirmatior esset,

Parasti in conspectu meo men-  
sam aduersus eos, qui tribu-  
lant me.

Adornasti.  
Instrues  
coram me  
mensam è

**E**X eo enim magna animo meo volup-  
tas, & gaudij abundantia est orta, regione ho-  
stium eorum.  
quod in hac terrena vita, non solum non  
periculis meis vnquam desit bonitas tua,  
verum etiam offensione omni aduersario-  
rum ablata, & exuperata omni asperi-  
tate, ceu inter epulas delicata & festa  
mensa, letus ac suauiter exceptus accum-  
bam, atque viuam. Hæc gaudiorum &  
vera

vera felicitatis mensa, pro tua gloriosa  
 Ad Eph. 3. opulentia mihi instructa est, referta aternis  
 bonis, ut ijs ceu suauissimis epulis animus  
 meus in perpetuum exatiari possim.  
 In hac mensa misericordiae tuae diuina  
 plenitudo est, qua electi ante orbem con-  
 ditum sumus, destinati adoptioni, ad laudem  
 Ad Eph. 1. gloriosa beneficentiae tuae, qua nos  
 acceptos reddidisti, per tuum charissimum  
 in quo liberationem habemus, per eius  
 sanguinem, videlicet delictorum veniam,  
 pro tua diuine beneficentiae, qua erga nos  
 tam largè usus es, ut in terris doctrina salu-  
 lutari tua, & suauissima contemplatio-  
 ne diuinitatis tuae pasti, tandem verò in  
 caelum translati, conuiuia simus aeterni nu-  
 minis tui, ut edamus & bibamus super tuam  
 mensam in regno tuo. Ac tum quidem  
 ego, cum te videbo aeternum Deum, ap-  
 parente tua gloria plenè exatiabor. Interea  
 autem, ut aduersus omnia inuictus esse  
 in vita possim,

Impingua-

Impinguasti in oleo caput meum, Et calix meus inebrians, quàm præclarus est?

G. Et calix  
tuus inebri  
ans me,  
quàm opti  
mus est.  
Exuberās.

**G**ratia enim tua luce, vndiquaque  
ceci fragrantissimo vnguento ac ni  
tente oleo perfusus, spiritu tuo foueor, ne  
in tenebris errem malorum & impingā.  
Sed vt in omnibus arumnis refrigerer &  
confirmer, & hilaritate abundem. Mag  
na caligine circumfusi, varijs casibus pe  
riculorum maximorum viuimus, omni  
bus ijs destituti, quæ iucunda in vita esse  
solent. Sed vnus lugendi finis, gratia tua,  
spes immortalitatis, ac tuum o domine cœ  
lestere regnum est, quod nos ab lamentis &  
complorationibus miserae vitæ abductos,  
vera & perpetua letitia oleo perfundit.  
Hoc ego insigni splendore, vitæ implebo cur  
sum, suauitate miserationis tuæ affluens,  
& cui nunquam clementia defutura est  
tua, vt in omnibus sollicitudinibus & cu  
ris, immortalis letitiæ meæ calix ex  
uberet.

sed et boni-  
tas et mi-  
sericordia  
tua psequer-  
tur me.

Et misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vite mee.

**O** remunerationem prorsus diuinam ad quam apprehendendam, omnis se mea voluntas effundet, & in qua sustentanda salutis spes est. Solus enim delicti gratuitate oppresso subuenisti, sanguine vnigeniti filij patefacta ad misericordiam tuam via, qua diaboli insidiosa interrupta erat, ad hanc, non meo cum merito promerendam feror, deterritus conscientia mea, tua clementia confisus, cuius amplior multo, quam omnis peccati ratio est. Nullam certe opem ferent, reluctante ratione effusa cupiditates, diuitia misera et egētes veri boni, in glorij apud deū honores, at me, qui spes meas ad te, deus conuersas habeo, bonitas tua & misericordia sequetur, nec vnquam per has vite vias difficiles euntem deseret. Hac me à morte ad vitam, à desperatione ad spem, ab interitu

teritu ad salutem reuocabit, & omni liberabit timore, vt in ea, defensio inuicta vita ac rerum mearum esse possit. Quid autem mihi ad gloriam salutemq; vitam maius accedere possit? quam beneficiorum caelestium innumerabilis, & quantum vix capere orbis possit, multitudo? nixa veritate summa ac fide, ad declarandam diuinam tuam erga me voluntatis propensionem. Quam felix ergo, quem nulla vis a salute depellet, ero? & cuius gloriam nullum tempus auferet, bonitate & misericordia tua erga me ad omnem eternitatem se proferente. Sic vndique gloriosus, vitam adipiscar sempiternam.

Et inhabitabo in domo Domini in longitudine dierum.

Et vt inhabitem longissimis diebus.

**H**ÆC enim de tua gratia, victoria erit mea, & felicitatis aternitas, vt ex hoc terrestri domicilio excedens, in tua caelesti domo tuoq; regno habitem. Graue exiliū

exilium est vita, propter periculosissimam  
satanae hostis potentiam, qui omni  
arte ab Ecclesia Catholica & Apostolica  
coetu, domo tua deterret, et ad impiorum  
illa disidentium tabernacula auocat, ad  
salute & vita ad certam perniciem atque  
interitum: Sed tua me misericordia com-  
plexa, viam mihi muniet ad tuum domi-  
cilium, quum huius mortis corpore liber-  
ratus, perigrinatione in terris peracta, sta-  
bili in caelis mansione fruam, immortalitate  
donatus. At tu pastor & pater salutis  
meae Deus, fer opem, qui spem dedisti, vi-  
ouicula tua in terris alar saluberrimam  
herbis doctrinae tuae, qui suavissimus es  
animorum pastor: & inter aestus malorum  
ac vitae spiritu tuo implear ad iustitiam  
colendam atque sequendam. Tu numine  
tuo semper praesens delinquentem corripes,  
corruentem sustenta, errantem dirige, vi-  
non ab interitu malisq; vitae tantum li-  
ber, sed & semper exuberante felicitatis  
& verae consolationis sensu abundem, ac  
demum

IN PSALM. XXII. 95

demum per tuam intimam bonitatem et  
misericordiam, supremo iudicij tui die  
statutus ad dexteram, in caelestem tuam  
adsciscar domum, ad sempiternam vitam  
cui destinatus sum, per Iesum Christum. Ad Rom. 6.

Meditationis in Psalmum  
XXII. finis.

ARGUMENTVM  
psalmi XXXI.

Verfa ad DEVM per agnoscentiam  
delicti eiusque confessionem mente, pec-  
catum remittitur diuinitus & aboletur.  
Hoc iusti semper orant, eoque tribuun-  
tur ipsis bona, vt spiritu confirmati diui-  
no, Deo se regendos tradant. Ac cum  
peccatores meritas delictorum suorum  
sustineant poenas, ipsi Dei misericordia  
vndiquaque recti sunt, & latari in perpe-  
tuum possunt.

MEDITATIO IN PSALMVM  
xxxii iuxta Hebraeos xxxij.

Omni-